

QR 240.

X 2046908

1  
Za  
6224

8

ÆTERNUM  
GRATI ANIMI  
MONUMENTUM

DOCTORI QUONDAM, IMO PATRI  
SUI AMANTISSIMO,  
VIRO NOBILISS. ATQUE CLARISS.

**CHRISTIANO DAUMIO,**

CYGNEO,

POETÆ, PHILOGO AC CRITICO CELEBERR. ET RECTORI  
DE SCHOLA PATRIA, TOTAQUE RE LITERARIA  
OPTIME MERITO,

POST OBITUM PLACIDISSIMUM,

QUI AD D. XIX. KAL. JANUAR. A. ÆR. CHRIST.

clō Iōc LXXXVII. IPSI OBTIGIT,

PRO BENEDICTIONE PATERNA REPETITA,

PROQUE INNUMERIS ALIIS BENEFICIIS

IN FANO MNEMOSYNES

PER ELEGIAM SUBSEQUENTEM

ERECTUM,

IN QUÆ ET INSIMUL

τὸ πᾶν

**JOH. LUDOVICI PRASCHII**

EPISTOLÆ

DE INSPERATO OBITU

CL. DAUMII

NON ITA PRIDEM AD SE SCRIPTÆ

BREVITER RESPONDETUR

A

**L. JOACHIMO FELLERO, CYGNEO,**

POES. PROF. PUBL. IN ACADEM.

LIPSIENSI.

TYPIS GOEZIANIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

Inro amphitimo  
Dr. SCHUMANN  
Poeti famigerabili  
et Anator Dresdeni  
cordatissimo





EXCELL.  
FELLERO  
MEO

Εὐζώειν καὶ εὖ διαίγειν!

**Q**ui fidus mihi Discipulus, qui fidus  
Amicus,

Et me ceu Patrem qui coluisti a deo,  
Seu cras, sive hodie terris decedere co-  
gar,

Te rogo, uti perstes hoc in amore mei.  
Teque Tuosque beet Benedictio Numinis  
almi,

FELLERE, ac longos det superesse.  
dies.

Tu contra memor esto mei, memor esto  
meorum,

Atque ope Daumiadas qua potes us-  
que iuva.

scrib. κλινηνης  
d. 12. Augusti 1685.  
Cugn.

Christianus Daumius.





\* \* \* \* \*



*Empora candidula, senio confectus & an-  
nis,*

*Sparserat, ad Moldæ littora curva, nive  
Sanctus Olor, prædulcis Olor, clarusque per  
orbem,*

*Daumius, Aonii duxque paterque gregis,  
Funereumque agitans præsago pectore carmen,  
Ista quoque accinuit verba suprema mihi,  
Verba suprema, auri longe anteferenda metallo,  
Cara mage & Gazis, gemmifer Orme, tuis.  
Nam Præceptoris sanctum ac venerabile nomen,  
Ut fuit usque mihi, dum mihi vita fuit,  
Sic verba illius divino e gutture lapsa*

*Vel mihi cœlislui nectaris instar erunt.  
Irrita nam non est sancta benedictio vocis,  
Seu Pater effundat, sive magister eam,  
Cœlestesque facit benedictum spargier imbres  
In caput, & vitæ stamina longa parit;  
Quando alios contra Nemesis divina flagellat,  
Et premit, ut nequeant exeruisse caput,*

A 2

Qui



Qui præceptores naso suspendere adunco,  
Horum & dicta nigro rodere dente solent.  
Vidi ego, dirarum percussos fulmine vocum  
Sideris in terris fausti habuisse parum;  
Vidi &, divino madidatos rore docentum  
Crevisse, & Patriæ dulce fuisse decus.  
Ergo igitur juvenes, Phœbi qui castra sequuntur,  
Si vitæ exoptant aurea fila sua,  
Ne lacerent, ah ne lacerent Chironas, in antro  
Illis quos scholico dia Pronœa dedit;  
Sint illis potius terrestria numina, quondam  
Desuper ut cœli gratia larga pluat,  
Ni malint sentire trucem Rhamnusidis iram,  
Vidisse & furvos postea in orbe dies.  
Solamen mihi grande fuit, mihi grande manebit,  
Quod mihi cum votis imposuere manus  
Illi multoties, dederant quos fata parentes,  
Par sanctum, ast Penies quos grave prescit onus;  
Quodque magistrorum me vox quoque sancta rigavit  
In Patria, in qua vis classe ubi primus eram,  
Tandem &, ubi festæ instabant solemnia lucis,  
Vorsum aut prorsum aliquid semper ab ore dabam,  
Omne etiam excipiens tum metro e tempore scripto,  
Quod mihi dictatum cunque pedestre fuit.  
Et quæ non in me vota ac læta omina fudit  
Zechendorfiades, optimus ille Senex,

Opti-



Optimus ille Senex, orbis qui abscondita Eoi,  
 Helladaque & Latium noverat absque pari?  
 Audio adhuc niveo voces ex corde profectas,  
 Sed quas me prohibet reppetiisse pudor;  
 Quin video ante oculos gestus bona verba sonantis,  
 Osque Deo plenum, candidulumque caput.  
 Sed Tu, sancte Pater, quæ non mihi vota dedisti,  
 Quondam Zechndorffi lumen amorque tui,  
 Digneque successor tanti actam dulcis Oloris,  
 Moldanas postquam deseruisset aquas?  
 Debeo me totum tibi, totum debeo, Daumi,  
 Quodque vocor bifidi heic pars quotacunque jugi.  
 Nam quia Cygneam Mars longum attriverat urbem,  
 Urbicolumque omnes depopularat opes,  
 Resque adeo arcta domi privum solvisse minerval  
 Haud passa, & libros ære parare novos,  
 Lanificum jusfit genitor me sumere carmen,  
 Nosseque, quæ pannus texier arte queat;  
 Filium at imbellem miserata est optima Mater,  
 Quæ Monica dici par pietate meret,  
 Ante patrem sed quam rapuit mihi casus acerbus  
 Anno,\* quo ad Moldam seviit atra lues.  
 Namque illum precibus Musisque Deoque dicarat  
 Sancta Avia,\*\* at sancto tum viduata viro,

A 3

Con-

\* Anno videl. 1682. d. 11. Augusti, quam eopse anno & Pater d. 12. Octobr. placida morte fuit subsecutus. Sit utrique bene, sit æternum bene!

\*\* Avia materna Sabina, (cui & Mater fuit cognominis,) Laurentii Wer-



Conjugis atque sui Joachimi voce notarat,  
Matris adhuc esset cum nova massa sua.  
Ergo memor voti hac, Avia de gutture fusi,  
Per me haud lanicii fervere sivit opus,  
Sed Tibi cum lacrumis me commendavit, ut essem  
Eximios inter gratuitosve tuos.  
Quid fit? Pierius cum se mox proderet ardor,  
Mox tibi & Epitidae lectus Iulus eram,  
Meque ita pannificum ferrato a carmine traxi  
Ferventem ad Clarii carmina grata chori.  
Nam mihi nil quicquam est (recolo bene cuncta) negatum,  
Optabam quicquid pervoluisse domi,  
Seu veterum vellem flores excerpere vatum,  
Seu libare ævi dulce poema novi;  
Amanuense etiam me tum utebare frequenti,  
Cum Membrana tibi missa subinde foret,  
Hincque adeo didici legisse volumina scripta,  
Queis commissa mihi Bibliotheca scatet.  
Illius at quanto cogor meminisse dolore  
Temporis, in pratis cum viridaret humus,  
Arboribusque comæ, volucrum cum voce, redirent,  
Et quoties cælo fulsit amœna dies!  
Tunc etenim stipare tuum latus, haud sine Martha,  
Et petere umbrosos exspatiando locos,

Jamq;

manni, Diaconi Cygnei ad D. Mariæ filia, relictaq; vidua M. Joachi-  
mi Oelmanni, Diaconi Cygnei ad D. Catharine, quorum is An. 1612.  
hic 1611. obiit. Vid. CL. Schmidii Chronicon Cygneum part. I. pag.  
405. & 408.



Jamque subire illam licuit plenam abjete silvam,  
Expoliens enses qua moletrina strepit,  
Mox parte ex alia jucundi frigoris alnos  
Visere, piscinis aut loca lata vagis,  
Mox & pulchricomum, spectat qui Cygnida, montem,  
Convallisque humiles, proxime page, tuas,  
Decceri queis villa tui bene culta virebat,  
Qui mihi flexibili tum quoque ductor erat;  
Arborea & tecum fesso considerare in umbra,  
Vatesque antiquos excutere atque novos,  
Scriptoresque alios (namque uxor Martha ferebat  
In calathis semper tres quatuorve libros)  
Dulcia & instar apes thyma delibare Matinae,  
Quae mihi monstrabat candida ubique manus,  
Elysios mihi sic saltus lustrare videbar,  
Et cum docticanis vatibus ipse loqui.  
Ast praclusa mihi tua sunt consortia, Daumi,  
Nec licuit comitem me dare, ut ante, Tibi,  
Ad Philyres quando Thymbrae me fata traherant,  
Quam Plisse admixtis lambit Elyster aquis;  
Quaquam fortunae, post Numen, & ipse fuisti,  
Gaudeo qua dudum Lipsica in urbe, faber.  
Namque ego cum proprio non possem vivere succo  
Heic, ubi Pieridum culmina celsa patent,  
Confide, aebas; non deficit alter & alter  
Phœbus, quos, spero, propitiabo tibi;

Rivinus



Rivinus, cui se & tua Musula prompta probavit,  
 Thomasiusque, orbis gloria magna sopsi.  
 Nec spes vana fuit, qua fultus, sim licet Iro  
 Par, dixi, ad Plissam mensa reposta tamen.  
 Nam quamvis mox summa poli Rivinus adisset,  
 Qui Vatis quondam munia & ipse tulit,  
 Thomasius gremio me molli (ob fata!) recepit,  
 Et se doctorem prestitit, atque patrem,  
 Quin post bis septem generum\* me legit aristas,  
 Scilicet auspiciis, candide Cygne, tuis.  
 Nec mihi non Barthi fecisti sidus amicum,  
 Reinesii & Critica Barthio in arte paris,  
 Postque hos Franckstenii magni, magnique Rapolti,  
 Quorum hunc & Socerum Gratia diva dedit.  
 Et quo non avidum replesti melle per annos  
 Ter denos, quoties littera missa fuit?  
 Quarum mille diu pluresque asservo vel auri  
 Instar, candoris ceu monumenta tui,  
 Quo innumeros alios mundi melioris Olores  
 Non minus, ac cantu carminibusque, premis.  
 Sed quorsum jam ferris, Olor, tam præpete penna?  
 Et quo surriperis tam cito, sancte Pater?

Me

\* data in matrimonium filia natu majore Johanna, hætenus quaterne sobolis  
 matre, post obitum primæ conjugis, Annæ Dorotheæ, Friderici Rappolti,  
 SS. Th. D. & PP. celeberrimi filia, quæ in ipso puerperio tertio extincta est  
 d. 29. Martii An. 1676. quo ipso anno & venerandus ejus Parens d. 27. De-  
 cembr. diem suum obiit.



Me miserum! ad Moldæ defectus viribus amnem  
Concidis, & pro illo stagna superna petis,  
O Daumi, o nostræ, Daumi, lux urbis & ævi,  
Concidis, o Phœbi, o Pierii Orbis amor!  
Deliciumque Aquilæ Augustæ, clementia cujus  
Contulit & genti splendida signa tuæ.  
Atque hinc tot clari surgunt in carmina Cygni,  
Plangentes Daumi fata inopina sui,  
Grævius in Batavis, & Magliabeccus ad Arnun,  
Qua Magni sedes floret amœna Ducis;  
Sequanæ & ad ripam Menagius atque Petitus,  
Carmina quorum alias nectare tota fluunt,  
Sique oculos vertas septem ad convexa trionum,  
Cymbrorum Cygni, Gudius, Axenius,  
Morhofiusque, amborum amor, ac dulcissimus ales,  
Felleri excitus voce monente sui.  
Quid Francos referam Cygnos, Cygnosque Variscos?  
Quid Mysii Cygnos, Saxonicique poli?  
Quid Cygnos, vage Sala, tuos, Cygnosque Cheruscos,  
Et quos Teutoniæ latior ora fovet?  
Daumiadam plorant omnes velut agmine factò,  
Compositoque illo carmina mœsta canunt.  
Nemo astit flebiliter mage Daumi funera plangit,  
Ac Tu, Carpzovi, noster & urbis honos,  
Fellerusque tuus, merito qui sacrat & aram  
Chironi, terna ad flumina tristis olor.

B

Fal-



Fallor? an & cita fata novi deplorat Amici  
Praschius, ingentes volvit ubi Ister aquas,  
Praschius, Astræ pulchrum decus, Osque Minervæ,  
Pieridumque simul fulgida stella novem?  
Sic est; discipulumque Elegos sacrare magistro,  
Parcarumque colos increpuisse jubet,  
Idque per argutos Elegos, Nasoneque dignos,  
Sed quos Fellerus felle madere facit.  
Sacro & ego doctori Elegos, quia Cynthius aurem  
Vellicat, & lessus ad nigra busta cano.  
Ast dum expendo simul nunc fractæ incommoda vitæ,  
Nunc hebetes oculos, nunc vada plena malis,  
Da veniam, Praschi, volui quod parcere Parcis,  
Nec plectro Aonides corripuisse suo;  
Grator ego Cygno potius puri ætheris undas,  
Depositumque scholæ grande Cygnensis onus,  
Proque labore illi, pro milleque amoribus opto  
Seraphicos inter gaudia mille choros,  
Milleque pro extrema divini aspergine roris,  
Gazis quam cunctis præfero, Cræse, tuis.  
Quisnam autem Linguae Latialis Lexicon ingens,  
Quisnam, inquam, tanti ponderis edet opus?  
Quis tot epistolicos Phœbæ gentis acervos?  
Atque alia extincti scripta parata Senis?  
Et de te ecquidnam fiet, clarissima sedes,  
Quæ tota es raris accumulata libris?

De



De Daumi quid item Nato, Nataque relictis,  
 Quorum atas poscit cruda virensque patrem?  
 Sed curæ hæc illis fuerint, quos Alma Parentum  
 Pancharis in terris iussit obire vices.  
 Ipse at ego, ulterior vitæ data si qua potestas,  
 Daumiadis nunquam deëro, Beate, tuis,  
 Nec Daumi exspirabit amor, dum sancta licebit  
 Illius in regno\* cernere volta meo;  
 Semper inextinctus Felleri in pectore vivet,  
 Dumque erit hic Orbis, fama perennis erit.  
 Interea nimium ponas, Cygnea, dolorem,  
 Dum tibi tres Cygnos avoluisse vides,  
 Quorum unum ad celsum Moldano a littore Olympum,  
 Atque alio duxit summa Pronœa duos.  
 Æthereo in Cygno triplex † nova stella refulsit,  
 Terrestri in Cygno tres quoque cerno novas.

\* b. e. in Paulina Bibliotheca, in qua CL. Daumii effigies inter alias juxta Reinesianam a me erecta conspicitur.

† In uno Cygni cœlestis sidere tres novæ stellæ hoc seculo sunt deprehensæ, prima Jansonii Anno 1600. in Cygni pectore, eaque tertiæ magnitudinis; secunda Hevelii Anno 1670. paræ magnitudinis, juxta caput; tertiæ Kirchii Anno 1686. sextæ magnitudinis, in collo. Vid. Gothofredi Kirchii, Astronomi nostri etiam apud exteros clarissimi, Calendarium Christiano-Judæo-Turcicum pro hoc anno 1688. Lipsiæ editum, part. II. in Additamento I.





Annectitur

Ob defectum exemplarium, & quia ob  
elegantiam argutiasque legi a quovis  
meretur,

ELEGIA PRASCHIANA,

*eaq;*

*juxta RATISBONENSE exemplar*

*recusa.*



*AD V. CL.*  
**JOACHIMUM FELLERUM,**  
*DE*  
INSPERATO OBITU  
*VIRI ITIDEM CL.*  
**CHRISTIANI DAUMII,**  
EPISTOLA  
*JO. LUDOVICI PRASCHII.*





*Quantum muneribus sum delectatus,  
amoris*

*Ingeniique tui, Misnice Phæbe,  
notis;*

*Tantum è diverso doluit mihi pecto-  
re vulnus,*

*Quod tua vi fati littera seua  
tulit.*

*Non ea (da veniam lingue prædura loquenti)*

*Nectare manavit, quo tua crena solet.*

*Non ea letificas Permes si reddidit undas,*

*Aonis aut sapuit dulcia mella jugi.*

*Nec gallæ, aut tabo piscis, sed flumine fellis,*

*Unde trabis nomen, littera nigra fuit.*

*Pennaque signatrix albi non munus oloris,*

*Sed diræ volucris germen, opinor, erat.*

*Nam quid perscribi poterat mihi tristius illo,*

*Daunius oppetiit, noster obiit amor?*

*Vix*



Vix equidem, primo legerem cum talia, sanus  
Accepi meritâ nuntia verba fide.  
Quid? jubar hoc patriæ, Pirenes fontis olorem  
Aurea tam celeri sidera adisse fugâ?  
Qui modo mellifluos, quos edidit ipse, libellos  
Carminis adjuncto misit honore mihi?  
Inque vicem nostri petiit monumenta laboris,  
Pignoraque obsequii? jam cinis ille niger?  
O volucres alas animæ, vitamque fugacem!  
O decus, ô Clarii munera vana chori!  
Plangite, collegâ raptò, Leisnere, lacertos.  
Æternum, sôcii, pascite corde rogam.  
Trade pium fletum patribus, Cygnea juventus.  
In lacrymas Helicon uvidus omnis eat.  
Hoc arefcentem libamine suppleat amnem,  
Ungula pennigeri quem patefecit equi.  
Plange, Sagittari: guttas demitte, Slevogte:  
Schubartus præ se signa doloris agat.  
Et quos præterea nutrit mihi Pimpla Salana  
Fautores, & quos Lipsia culta colit.  
Tu tamen inprimis, Fellerè diserte, quietum  
Effer Arioniâ, quam dedit ipse, lyra.  
Discipulum fas est elegos sacrare magistro.  
Sic Orpheus solvit pectine iusta Lino.  
Sic te doctorem fleverunt, Ardale, Musa.  
Sic obitum luxit Naso, Tibulle, tuum.

Mille



La 6224 OK

Mille canent alii, labra si Fellerè movebis:  
Pulsa velut plures excitat una chelys.  
Jamq̄ suo pleetro malefidam corripe turbam  
Pegasidum: sevas jam reprehende colos.  
Non animum vestrum, Clotho, flexisse lepores  
Doctaque Castalii tot monumenta senis?  
Tot monumenta senis, quæ nocte premuntur opacâ,  
Quæ, nisi torperet morte, daturus erat.  
Nam quacunque dedit, sociâ dictante Minervâ,  
Juris in hac nibilest, nubila Parca, tibi.  
Hæc aprica manent, hominumque per ora volabunt,  
Dum Latio nomen, dumque manebit honos.  
Idque adeo victor, solamen funeris aufers,  
Et lacrymas unâ, tristis amoris opus.  
Accipe sinceros latices, gemmasque liquentes,  
Ultima composito quæ tibi dona damus.  
Et bibe (nam sitiunt Aganippen ossa sepulcro)  
Ebria quod tali corda liquore vomunt.  
Te, Germanorum Varro notissime, ademtum  
Non unus cœtus, terra nec una gemit.



VOT7

m.c.



QW 240.

8.

DOCTORI

VIRO

CHRIST

POETÆ, PHILOLOGO  
DE SCHOLA

POST

QUI AD D. XI

clō Is

PRO BENEDIC

PROQUE

IN

PER E

JOH. LU

DE

NON IT

L. JOACHIM

POES.

Za  
6224

IO,

ECTORI  
IA

ITA,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)

III

BIBLIOTHECA  
CRAVIANA

EO,

o amphitimo  
SCHUMANN  
reti famigerabili  
natori Dresden  
cordatissimo

